

Pr. g. 1. num. 13.
H. S.

18

19

1765, 4
DE

LEGVM RATIONIBVS,
QVAE IN IPSIS LEGIBVS MINVS ADCVRATE
EXHIBENTVR,

QVAEDAM DISPVSTAT

ET

LECTIONES PVBLICAS INDICIT
HERMANNVS ERNEST. RVMPPEL

PHILOS. ET L. V. D. IVR. PROF. PVBL. EXTR. GYMNAS. SENAT. DIRECTOR,
ACADEM. IMP. NAT. CVR. COLLEGA ET BIBLIOTHECARIVS
ET ACAD. MOG. SCIENT. AB EPISTOLIS.

P. A.

1765



ERFORDIAE,


STANNO NONNIANO, ACAD. TYOGR.



KONFRIED
UNIVERS.
ZVILLALIE



Legibus, quas vel immortale numen pectoribus mortalium inscripsit, vel quas legislatoris humani sanxit auctoritas, duplex omnino qualitas inesse solet; altera, quæ mente cernitur, & ex conditionibus legem suadentibus colligitur, altera vero, quæ legis materiam constituit, ac quasi in oculos sensusque incurrit. In illis enim legibus, quas non opinio genuit, sed quaedam innata vis hominibus inferuit, ipsa illa vis, seu hominum natura quasdam actiones præcipit, contrarias fieri verat, ad quam quum mentem aduertimus, tum ipsas leges naturales eruimus, ac publico conspectui exhibemus. In legibus autem, quæ ab humano profectæ sunt arbitrio, priorem earum qualitatem, quum sit vel ab imperantis voluntate vel a reipublicæ usu ac necessitate dictata, ex re-



rum gestarum monumentis elicere debemus; alteram vero, si lex sit scripta, in ipsis verbis, voluntatem legislatoris declarantibus, si lex sit non scripta, in ipsa factorum frequentia, qua vim juris obtinuit, deprehendimus. Quum igitur ex conditionibus legem suadentibus intelligi possit, cur lex sit lata, hinc recte *ratio legis* & quia legi vitam inspirant, anima legis vocantur, Omnis vis legum moralis esse, id est, ad actiones subiectorum liberas regendas comparata esse debet, ac proinde ab ipsa illa ratione, qua legem efflagitavit, omnis vis legis repetenda, & neque ultra illius terminos proferenda, neque intra angustius spatium, quam ratio legis patet, cohibenda erit. Ea res interpretibus occasionem aperuit, a verbis legum paulisper diuertendi, sicubi illa a ratione earundem recedunt, legumque vim modo ulterius extendendi, modo arctius adstringendi, quam quidem verba pati videbantur; *scire enim leges non est verba earum tenere, sed vim ac potestatem* id est rationem intelligere 1), & recte proinde CICERO 2) *Omnes leges, iudices, inquit, ad commodum reipublice referre oportet, & eas ex utilitate communi, non ex scriptione, qua in literis est, interpretari.*


Fuerunt, qui disputarent, an cessante legis ratione lex ipsa vigorem suum saluum atque integrum retinere possit; sed haec quaestio aequae videtur superuacanea, ac si quaeras, num anima efflata corpus vitam conseruare queat. Qua enim adferuntur conditiones, sub quibus leges, licet earum ratione euanescente, adhuc valere debeant, omnes ponunt, superesse aliquam legis rationem, licet prior ac praecipua illius ratio, qua legi natales dedit, non amplius exstet; & vere cum ratione insanire velle videretur, qui legi sine ratione auctoritatem tribuere tentaret, quum legis ratio & vigor semper pari passu ambulent 3).

1) L. 17. 7. LLbus. 2) De Inuent. lib. 1. c. 38. 3) Vid. Iac. Voorda Interpretationes & emendationes juris Romani cap. 1. & Holderrieder

maxima cum cura ratio legum indaganda est, quamvis *non omnium* que a maioribus constituta sunt reddi ratio possit 4), & quamvis *NE-* RATIVS in rationes eorum, quae constituuntur, *inquiri* vetet, *multa ex* his, quae certa sunt, *subverti* existimans 5). Nec enim cum IO. FABRO 6) rationes nullas quaerendas esse ac superfederi commode hoc labore posse, censere debemus, aut cum DVARENO 7), tum de- mum rationem legis indagandam esse, *quum de juris dubii interpre-* tatione agatur, *ne adversus veterum praecepta peccemus, qui in republi-* ca illud maxime improbant *ζητεῖν τῶν νόμων σφώτερον ἐν οὐδὲν* 8). Mul- torum utique institutorum ratio in obscuro latuit, quae adhibita diligentia in lucem fuit extracta, cur igitur de omnibus reliquis desperemus? eruendis autem rationibus leges minime sunt incer- rae, sed legibus antea incertis, addita ratione, quae est mensura ac fons certi verique, determinatus sensus ac vis indubia tribuitur; ii denique, qui legum scrutantur rationes, non maiorem, quam leges praeseferunt, adfectant sapientiam, sed ipsam, quae legibus inest, sapientiam ex suis rationibus illustriorem reddere student, imo quo quis plus operae impendit solide & ex genuinis rationi- bus cognoscendis legibus, eo longius ab illiterato illorum more, qui legum verba tantum memoriae infixae tenent, recedit, eoque al- tius in ipsa Themidis sacra penetra.

Sed ardua se nobis offert quaestio, vnde verae legum rationes sint petendae, quum tot tantique in iis allegandis errores nobis ob- reperere possint? Rationes nobis suppeditantur vel a legibus ipsis vel a rebus externis. Si posterius, petuntur vel a forma & con- stitutione reipublicae fundamentali, vel a statu quodam transeunte & mutabili, & in utroque casu gentis, cuius leges considerantur


A 3 regio,
rieder *diff. de principiis interpretationis legum adaequatis* sect. II. §. 19. (Lips. 1736.) 4) L. 20. *π.* de LLbus. 5) L. 21. *cod.* 6) Ad §. f. I. si quadr. paup. sec. dic. 7) De LLbus cap. 6. 8) *Vt inquit* Aristoteles lib. 1. *Rhet.* c. 37.



regio, cœli temperies, mores, instituta, reipublicæ forma, cultus, res gestæ, imperantium indoles, cum aliis gentibus commercium & relatio, &c. magnam rationum copiam præbent 9). Sin prius, leges illas subinde tacite innoluunt, & tum facile ex ipsa naturali acuitate, ex factorum quæ enarrantur ac deciduntur natura & indole, rationes arcessi possunt. Interdum vero leges, expresse suas rationes indicant, quæ vero quum sæpe vel ex errore, vel consulto falsæ proponantur, iis temere fidem adhibere haud licebit, sed satius erit, in illis ponderandis tantum operæ collocare, ac si nullæ plane essent propositæ.

Lex, etiamsi rationem non adiiciat, cur aliquid iustum honestum declaret, tamen subiectos obligat; *legis enim virtus hæc est, imperare, vetare, permittere, punire* 10), non autem vniuersales notionēs, rigidasque demonstrationes adferre, id quod merito doctoris officio relinquitur 11). Vbi igitur legislator rationibus sese immiscet, posita legislatoris persona, doctoris personam induit, id quod nonnunquam prudentia ab eo exigere videtur, quum mirum leges ad politiam vel ad arcana reipublicæ pertinent, tum enim consultum non modo est, rationes adiungere, sed fictas quoque proferre, vt reipublicæ salus eo certius, tutiusque promoueri queat 12). Leges autem, quæ simul præcipere & docere volunt, non raro in varios errores incidunt, vt falsas vel ineptas eorum, quæ fanciunt, præ se ferant rationes; id quod in Pandectis juris Romani vsu venire eo minus est mirandum, quum illæ sint frag-

9) Vid. Vincentius, Placcius, qui hoc argumentum floribus ex philosophia veteris scholæ excerptis conspersum prolixè tractauit in libro singulari de interpretatione & explicatione legum cap. 4. Inter recentiores cuilibet notum est præclarum illud opus Montesquien de l' esprit des Loix. 10) L. 7. 7. de LLbus. 11) Illustr. Pütter in der jurist. Encyclopæd. §. 94. pag. 57. 12) Illustr. Daries erste Gründe der Cameralwissenschaften p. 397.



mentā ex ICtorum commentariis ad leges depromta, quae ab initio priuatae fuerunt opiniones, & demum a Iustiniano promulgatae, vel iam antea auctoritatem in foro naclae vim legum obtinuerunt. IUSTINIANVS ipse in Institutionibus tam legislatorem, quam doctorem agere voluit, ac eadem fuit illius aliorumque Imperatorum mens in iis constitutionibus, quae in reliquis iuris ciuilibus libris sunt obuiaae. Nos ex multis rationibus perperam in legibus venditatis paucas quasdam delibabimus.

IUSTINIANVS Imperator 13) legem *Fusiam Caniniam*, quae n̄mias manumissiones in testamentis factas coercebat, ideo abrogauit, quia *inhumanum esse* putauit, *vinos quidem licentiam habere totam suam familiam libertate donare, nisi alia causa impediatur libertatem, morientibus autem huiusmodi licentiam adimere*. Saepius quidem v̄itur Imperator argumento *ab humanitate petito*: Sic, quum nomen familiae definit, personasque ad familiam pertinentes recenset, generum quoque ac n̄rum illis adnumerat, eosque propinquis deficientibus ad fideicommissum familiae relictum vocat; *eos enim*, inquit, *nobis humanum esse videtur ad fideicommissum vocari* 14); & heic quidem recte magnam humanitatis seu ipsius humanae naturae vim 15) agnouit imperator; idem *ad humanitatem*, hoc est, ad aequitatem prouocat, quum ad exemplum conuentionalium pignorum & in praetorio pignore dat recuperationem creditori, quocumque modo possessionem amiserit, *sive culpa sua, sive non, sive fortuito casu* 16). CONSTANTINVS quoque Imperator vltimarum voluntatum libertatem ex ipsa humanitate deducit, *nihil enim est*, dicens, *quod magis hominibus debeatur, quam ut supremae voluntatis (postquam iam aliud velle non possunt) liber sit filius & liberum, quod iterum non redit, arbitrium* 17). At ratio illa humanitatis ad extendendam manumittendi licentiam parum omnino

13) Tit. I. de lege Fusia Caninia tollenda. 14) I. 5. C. de verbor. & rer. signif. 15) Vid. Ernesti in Clav. Cic. voc. humanitas. 16) In l. 2. C. de praetorio pignore. 17) L. 1. C. de SS. eccles.



minimo valere videtur; quum enim Romani *nationes in familiis haberent, quibus diuersi ritus, externa sacra aut nulla erant, colluuesque ista non nisi metu coerceri posset* 18), Augustus Imperator *magni existimans sincerum atque ab omni colluione peregrini ac seruilis sanguinis incorruptum seruare populum, & ciuitatem Romanam parcissime dedit & manumittendi modam terminauit* 19), sanxitque a. V. C. IocCLII, S. Furio Camillo & G. Caninio Gallo *Coss. lege Fusia Caninia*, ne, qui vel nationes seruorum in sua potestate haberet, plures ex iis quam centum testamento manumittere posset; & recte quidem hac lege AVGVSTVS integritati ciuitatis prospexit, quum Romani non nisi animam agentes, ac se suis amplius seruis uti non posse reputantes effuse integra saepe famulitia manumitterent, ut post mortem, maximo funus eorum prosequente pileatorum numero, summae liberalitatis laudem reportarent. IVSTINIANVS autem inconcinna sua humanitatis ratione & legis *Fusiae Caninae* abrogatione id effecit, ut non modo respublica scintilla hominum obseruaretur, sed ut etiam vires familiarum iam satis debiles plane eneruarentur.

Legatariis & fideicommissariis, *quia non iuris successores sunt*, & aliis personis eis coniunctis testimonium in testamentis ordinandis perhibere non denegat IVSTINIANVS 20). DIONYSIVS GOTHOFREDVS 21) SCTo Liboniano olim fuisse cautum, existimat, ne legatarii ad testimonia admitterentur; HOTOMANNVS l. 3. C. Theod. de testam. inductus hoc ius antea incertum a SCÆVOLA introductum statuit, idque hoc ipsum esse, quod PLINIUS 22) ut improbilissimum genus falsi notat. At quod ad SCTum Libonianum attinet, quod a. V. C. 769. *Statilio Tauro & Scribonio Libone Coss.* (ut conicit PITBOEVS) factum est, illud non ad nostrum casum spectat sed *vanam legis Corneliae irrogat ei, qui quid aliud, quam testamentum sciens*

18) Tacit. Annal. lib. 14. cap. 44. 19) Sueton. in Augusto c. 20. 20) In §. 17. l. de test. ordin. 21) Ad l. 22. C. cod. 22) Lib. 2. epist. 20.



sciens signaverit, item qui falsas testationes faciendas testamentave falsa inuicem dicenda aut consignanda dolo malo curauerit. (Vid. Col-
lat. Mosaicar. & Rom. llum tit. 8. n. 7. in Schulting. Iurispr. An-
teci. pag. 764.) HONORIVS & ARCADIVS quidem in l. 3. C. Theod.
de testam. referunt *Scaeuolam* hoc ius adprobasse, sed inde non fluit,
eum primum fuisse huius iuris inuentorem. PLINIUS denique in
allegata epistola non damna inde oborta, quod legatarii ad testimo-
nium in testamentis condendis dicendum fuerint adhibiti, sed Mar-
cum quemdam Regulum nequissimum omnium bipedum descri-
bit, & de temporum suorum corruptis moribus, hereditetarum-
que proteruis artibus conqueritur, qualem etiam IUVENALIS tra-
ducit 23):

*Signator falso, qui se lautum atque beatum
Exiguis tabulis & gemma fecerat vda.*

Caeterum ex ipsis *Plinii* de Regulo fabulis id elucet, iam tum
temporis legatarios in testamentis testes fuisse adhibitos, imo id
iam ante illa tempora obtinuisse ex l. 14. π . de reb. dubiis adpa-
ret, vbi id ius auctoritate TREBATIO suffulcitur; ita enim MARCIA-
NVS: *Si quis ita scripserit; illis qui testamentum meum signauerint*
(id est, qui testes fuerint adhibiti, quia signator & testis idem va-
lent) *heres meus decem dato.* Trebatius vtile legatum esse putat, quod
Pomponius verius esse existimat, quia ipsum testamentum confirmatur
testibus adhibitis, quod verum esse existimo 24). Sed nunc ipsam rati-
onem a IUSTINIANO allatam examinemus: Iubet Imperator lega-
tarios testes in testamentis admitti, quia non iuris successores sunt,
eamque rationem THEOPHILVS 25) ita exprimit: *επειδη εν ασωμα-
τε γιγονται διαδοχοι*, qui τὸ ἀσώματος pro iure hic non male ac-
cipit, ἀσώματα enim in iure consistunt. Haec autem ratio non
fatis apertam inter heredem & legatarium differentiam ponit; quam-

B

uis

23) Satyr. I. v. 67. 24) Vid. Vinnii Comment. ad l. §. 11. de testament.
ordin. 25) In paraphrasi I, h, §.



nis enim suppleamus, legatarios non esse *iuris vniuersi* successores, ac proinde non tale cum illis geri negotium, quale cum heredibus, nihil tamen inde efficitur nisi hoc, vt magis repellendus sit a testimonio heres quam legatarius, cuius causa non quidem principaliter agitur, per consequentiam tamen ex validitate testamenti emolumentum sperat, & eatenus in causa propria dicit testimonium. Interpretes igitur in locum mancae huius rationis alias opportuniore substituunt, numero nimirum, aiunt, ac fide reliquorum testium, sollemnitatumque obseruatione fidem testis, qui simul sit legatarius sustineri ac ab omni falsi suspicione liberari; accedit, quod veteres vltimam voluntatem consignaturi testibus utebantur familiaribus suis, quibus amoris declarandi gratia nihil relinqui posse, durum & inhumanum videretur; adparet hoc ex loco SYMMACHI 26): *Quis non familiarissimum quemque signandis adhibet, quum extrema conduntur? Tam quid mirum est, si in oculis positus non mereatur aliquod monumentum religionis, qui meruit aduocari?* Ac denique legatariis non tam cum extraneo quodam quam cum ipso herede res est, is igitur, quam testibus acceptum ferat, quod illorum testimonio testamentum munimur validumque sit redditum, impius atque ingratus foret, si legatarum quibusdam eorum scriptum hoc praetextu iis denegare vellet, quod in causa propria testes fuissent 27).

Profert etiam inadaequatam priuilegii militum in testamentis condendis rationem *Imperator*, quam in *nimia militum imperitia* collocaat 28). Haec imperitia *simplicitas militaris* etiam vocatur 29), & in imperitia sollemnitatum subtilitatumque forensium consistit; milites enim *arma magis, quam iura scire dicuntur* 30) & TACITVS: *Castrensis, inquit, iuris dictio obtusior est, ac plura manu agens caliditatem fori non exercet* 31). *Naso* quidem canit:

Fal-

26) Lib. X ep 50. 27) Vinnius l. c. 28) In pr. I. de test. milit. 29) In l. 3. C. h. t. 30) L. vlt. C. de iure deliberandi. 31) In vita Agricola.



Fallere credentem non est operosa puellam

Gloria; *simplicitas digna fauore fuit.*

Sed num militum quoque simplicitas seu iuris ignorantia tanto fauore digna fuit, vt in ordinanda vltima voluntate iuris ciuilis solemnitatibus soluerentur? Id quidem nobis Imperator nunquam persuaserit, neque enim militum imperitia aut sola aut principalis huius priuilegii causa dici potest. Si sola esset, tunc feminis ac rusticis, aliisque quibus iura ignorare tuto licet idem tribui priuilegium, ac militibus ipsis omni tempore locoque competere deberet. Sin esset principalis, cur ipse IVSTINIANVS 32) post missionem veteranos vel alios extra castra, si faciunt testamentum, communi omnium ciuium Romanorum iure id facere iuberet? An autem miles in hibernis legum peritior censendus est? An si hodie gladium minacem vibrarit ac per medios hostes viam sibi pararit obuiosque ad tartara miserit, cras vero ex castris redeat domum, maiorem nunc iuris scientiam sibi parasse putandus est? id ne Phrygem quidem, qui sero sapit, adfirmaturum esse, euidentis est. Principalem & magis idoneam causam expressit VLPIANVS 33) laborum ac periculorum molem, quibus milites in expeditionibus funguntur; rei militaris enim cura, adsidua vigilantia, periculorumque impendentium horrida vis omnem iuris subtilitatum mentionem ex animo pellit, & iustum est eorum, qui pro salute patriæ capita sua deuouent, voluntatem vltimam, quomodo-cunque significatam, ratam haberi.


In Digestis quoque non raro rationes legum reperiuntur ita comparatae, vt rationem in ratione non immerito quaeras. Sic CALLISTRATUS 34) *Curatores, Caesaris, inquit, ius deportandi non habent, quia huius poenae constituendae ius non habent.* Heic id vitii committitur, quod philosophi petitionem principii dicunt; nisi forsitan lectio

B 2

huius

32) §. 3. l. cod. 33) In l. vn. ff. de bonor. poss. ex testam. militis. 34)

34) L. 3. ff. de curat. Caesl.



huius legis in mendo cubet, & vel expungendum sit vocabulum *huius*, vel in eius locum *vllius* reponendum, quum sicut in nostra lege irrogatio poenae procuratoribus Caesaris denegatur, ita per §. 2. eiusdem remissio poenae iis non competat: *deinde neque redire cuiquam permittere possunt*; quippe quorum officium omne in rationibus Caesaris conficiendis ac administrandis eius causis fiscalibus pecuniariis consistebat 35), nec ad iudiciorum publicorum exercitium extendebatur 36) nisi is procurator simul fungeretur officio praefidis provinciae. Celeb. autem PÜTTMANNVS 37) nec non *Corn. van BYNKERSHOEK* 38) receptam huius legis lectionem defendunt, & is quidem ideo, quoniam plura eiusmodi rationum incongruarum in quibus *ἀντὶ τοῦ ζητούμενου ἀπὸ ἀρχῆς* pro ratione adfertur, exempla in legibus occurrunt, hic vero ab initio nutat & vel particulam *huius* vult deleri vel leui quadam mutatione *alicuius* rescribi, quum vero Florentinus codex particulam *huius* exhibeat, & ab eius auctoritate recedere religioni sibi ducat Bynkershoekius, ita rem explicat: quae patrimonii sacri administrationem excedunt, ea procuratores Caesaris exercere nequeunt, nisi sint iis speciali quadam constitutione permessa, quale factum Vlpianus memorat 39), quum Antonini constitutione procuratori cuidam cognitio ex lege Iulia de adulteriis concredita fuerit. Igitur Florentinam lectionem ita interpretatur BYNKERSHOEKIVS: *iis deportandi procuratoribus non competere, quia id iis specialiter datum non est, quia non habent vel ex lege vel ex constitutione, quae tamen in hanc rem esset necessaria, quum longe lateque id excedat officium, quod curandis Caesaris negotiis absolvitur*. Imo etsi procuratori Caesaris simpliciter & suo quodam iure tribuas gladii potestatem, quae tamen

35) L. 9. pr. π. de offic. proconf. & legat. 36) L. 2. C. de poen. l. 3. C. vbi caus. fisc. l. 4. C. ad leg. Tab. de plag. Vlpianus lib. IX. de Offic. proconf. in Collatione LLum Mosaicarum & Romanarum tit. XIV. 37) In libro singulari interpretationum & obseruat. iuris Rom. cap. XVII. 38) Lib. II. Obseru. 20. 39) L. c.

men non omnibus, vt vidimus, competiit, sed iis tantum, qui simul essent praesides, & hoc in casu CALLISTRATVM receptamque legis lectionem TURTURYNKERSHOEKIVS, sic nempe excipi manifesta iuris ratione ius deportandi a reliquo meri imperii exercitio, quum ius deportandi ad neminem in prouinciis, quamuis merum habeat imperium, imo ne ad praesidem quidem 40) spectet, nisi id specialiter demandatum fuerit.

Possessor, qui non aliunde possessioni suae, quam ex ipso facto possessionis, titulum & ius conciliare potest, possideo, inquit, quia possideo; & eiusdem ponderis est ratio PAPIANIANI 41) quum: *Ob negotium copiarum*, inquit, *expeditionis tempore mandatum, curatorem condemnatum pecuniam iure compensationis retinere non placuit, quoniam ea non compensantur*. Celebert. HOFFMANNVS 42), qui geminationis ope legibus paene desperatis manus medicas adhibuit, quum ipsi verba huius legis vltima bilem mouerent, retrogradae geminationis modula vsus est, & pro *ea non legit eA Non*, id est *e annona*, ita vt nunc ratio haec compareat: quia *e annona non compensantur*. Equidem non est negandum, geminationis ope, qua vel simplices litterae, vel syllabae, vel integrae voces bis sumuntur, compendii gratia semel a scribis positae, multum lucis legibus adfundi, quod tam RADVLPHVS FORNERIVS 43) quam laudatus HOFFMANNVS docuerunt, at in nostro casu tamen id remedii parum feliciter tentatum existimat acutissimus PÜTTMANNVS 44), quum ea emendatio nimis contorta videatur. Nec maioris momenti est ratio VLBIANI 45): *Alteri stipulari nemo potest, praeterquam seruus domino, filius patri stipuletur. Inuentae sunt enim huiusmodi obligationes ad hoc, vt vnusquisque sibi adquirat, quod sua interest*. Forsan hoc modo clarius proferri potuisset haec ratio: Quum formulae stipulationum illis temporibus fu-

B 3

erint

40) L. 6. §. 1. 7. de interd. & releg. 41) L. 20. 7. de compensat. 42) Dissertat. XT. §. 7. 43) Rerum quotidianarum Lib. II. cap. 1. 2. & 3. in Euerard. Oton. thesaur. Iur. Rom. tom. 2 pag. 159 seqq. 44) L. c. 45) L. 38. §. 17. 7. de V. O.



erint inuentae, quibus Romanorum mores adhuc erant simplices atque integri & in tanta eorum paupertate sua quisque negotia ipse gereret, iisque rite administrandis idoneus ac sufficiens esset, nec deinde in eiusmodi formulis usu fori, aut lege quadam ciuili negotio introducta, inde factum ut stipulatio aequae ac alii actus legitimi non nisi inter personas principales geri posset. VLPIANVS sibi similis est in reddenda ratione, quum 46): *Pecuniae verbum, ait, non solum pecuniam numeratam complectitur, verum omnem omnino pecuniam, hoc est, omnia corpora; nam corpora quoque appellatione pecuniae contineri, nemo est, qui ambiget; & IDEM 47): Heredis, inquit, appellatio non solum ad proximum heredem sed & ad ultiores refertur; nam & heredis heres & deinceps heredis appellatione continetur.* Ita interdum bonus dormitat Homerus.

Similiter rationes subducit PAULLVS 48), qui rationem allegaturus, cur furiosi curator actione negotiorum gestorum, non autem tutelae conueniri queat, quia, inquit, *non idem in hac actione, quod in tutelae actione, constitutum est.* Adcuratorem nobis suppeditat rationem CVIACIUS 49), qui differentiae rationem sitam esse, ait, in potestate illa, qua gaudet tutor in pupilli capite, non curator, quum nec vlla alia actio pupillo in tutorem competat ex causa, quae tutelae tempore coeperit 50), sed ex contractu paterno tantum & causa tutelam praecedente, speciali tutore vel curatore auctore. Ipsa Paulli verba ita sonant: *Cum furiosi curatore non tutelae sed negotiorum gestorum actio est, quae competat ei am dum negotia gerit, quia non idem in hac actione, quod in tutelae actione, dum impubes est is, cuius tutela geritur, constitutum est.* Dicitur in hac lege negotiorum gestorum actionem etiam competere, dum negotia geruntur, actionem

46) L. 178. π . de V. S. 47) L. 65. π . de V. S. 48) L. 4. δ . 3. π . de tut. & rat. distr. 49) *Obseru.* Lib. XVII, cap. 7. pag. 407. 50) L. 10. π . de tutel. & rat. distr.

nem autem tutelae, finita demum tutela institui posse. Cui asserto aduersari videntur Impp. SEVERVS & ANTONINVS §1) qui sanciunt: *Aduersus curatorem adolescentis, cui collegae dati estis, quamdiu administratio communis durat, exerceri iudicium non potest, & VLPIANVS §2): Actus sui rationem concuratorum reddere non esse compellendum, sed nisi cum eo administrationem communicet, aut si non ex fide curam gerat, suspectum postulari posse* statuit. Sed de generali tantum negotiorum gestorum actione loquuntur hi textus, vt glossa testatur, quam aequè absurdum est, ante finitum totum negotium institui ac de tutelae actione statuitur: *Et generaliter quod traditum est, pupillum cum tutore suo agere tutelae non posse, hactenus verum est, si eadem tutela sit; absurdum enim erat, a tutore rationem administrationis negotiorum pupilli repositi, in qua adhuc perseveraret, in qua autem desinit tutor & verum coepit esse* cet. §3). Inde sequitur, haec duo iudicia in eo maxime discrepare, quod tutelae actio semper sit generalis, negotiorum gestorum autem actio etiam specialis esse queat; VLPIANVS enim §4): *negotia, inquit, sic accipe: siue vnum siue plura; & sic actio tutelae non nisi de vniuersis negotiis finita tutela, ex curationis causa etiam de vno negotio institui potest* §5).

Inter rationes inadaequatas, quae iusto sunt latiores referenda est illa, quam VLPIANVS §6) tradit, cur prodigi testes in testamentis adhiberi nequeant: *Is cui lege bonis interdictum est, testamentum facere non potest, & si fecerit, ipso iure non valet. Quod tamen interdictione vetustius habuerit testamentum, hoc valebit. Merito ergo nec testis ad testamentum adhiberi poterit, quum neque testamenti faciliorem habeat.* Sed haec minus iusta est illatio, quum filiusfamilias, qui non habet

testa-
 §1) L. 2. C. de administr. tutor. vel curator. §2) L. 29. ff. de administr. & peric. tutor. §3) L. 9. §. 4. ff. de tut. & rat. distr. §4) L. 3. §. 2. ff. de negotiis gestis. §5) Vid. Cuiacius l. c. §6) L. 23. pr. ff. qui test. fac. poss.



testamentificationem, in testamento tamen sit testis habilis 57). IUSTINIANVS quoque 58: *testes autem adhiberi possunt*, inquit, *cum quibus testamenti factio est*; quod vero quum non sit ad eos referendum, qui ipsi testamenta condere possint, seu qui testamentificationem actiuam habeant, hinc VINNIVS 59) id intelligit de iis, qui testamento heredes institui queant, seu cum quibus sit testamentificatione passiuā. HEINECCIUS vero 60), qui nec testamentificationem passiuā, nec passiuā & actiuā simul characterem habitatis testium sufficientem esse putat, quum impubes quidem recte heres institui nec tamen testamento testis adesse queat, mulier autem & testamentum condere, & heres institui queat, & tamen a testimonio dicendo excludatur, testamentificationem ita definit, vt eam illis tribuat, quibus licebat interesse comitiis calatis, atque ita testamentificationem ad primam illam testamentorum condendorum formam reducit. Sed hunc, vt & THOMASIVM idem sentientem late solideque refutat Celeb. TREKELLIVS 61) qui etiam phrasēs, *habere testamentificationem* siue *habere ius testamentificationis*, &: *cum aliquo esse* vel *habere testamentificationem* luculentissime exponit 62); in enucleandis autem testium in testamento qualitatis non respiciendum esse ad comitia, sed partim ad mancipationem, partim ad ipsam testamentorum naturam iubet. Hinc regulam ponit: *ii tantum possunt testes esse, cum quibus est testamentifatio, vt scilicet testator talem iuris communionem cum illis habeat in testamentifatione, vt possit omne ius suum in eos transferre*. Praeter id autem, vt cum quibusdam sit testamentifatio, requiritur etiam habitas ad testium munus obeundum & proinde §. 6. I. supra allatum ita exponit: *Testes autem adhiberi possunt ii tantum, cum quibus*

57) L. 6. & l. 22. π. eod. 58) §. 6. I. de testam. ord. 59) Ad §. 6. I. eod. 60) Compend. I §. 465 not 2. 61) In tract. de origine & progressu testamentificationis praesertim a quod Romanos cap. 3. §. 61. pag. 202. & §. 69. pag. 221. 62) L. c. §. 60. pag. 198.

testamentifacitio est, sed sunt quidam, qui non possunt esse testes licet cum
 iis sit testamentifacitio, quia nempe sunt inhabiles ad testimonium in
 actibus legitimis perhibendum: & ideo neque mulier &c. cuius inha-
 bilitatis ratio vnice ex ritu mancipationis est repetenda 63). Ratio
 VIPIANI igitur in nostra lege est inadaequata; sed hoc forsitan VI-
 PIANVS innuere voluit, eandem causam, quae prodigo testamendi-
 factionem adimit, etiam testimonii ius auferre, nempe luxuriam &
 morum nequitiam. Prodigis quoque notam inurebat interdictio
 administrationis bonorum, fidemque testimonii illorum cleuabat, at-
 que adeo toto paene in iure ciuili prodigi eadem, qua furiosi, con-
 ditione habentur. 64).

Extra oleas vagatur etiam ratio, quam VRSEIVS EX PROCVLO
 refert 65): *Si seruus communis, id est, meus & tuus seruum meum
 occiderit, legi Aquiliae locus est aduersus te, si tua voluntate fecit, & ita
 Proculum existimasse Vrseius refert; quod si non tua voluntate fecit,
 cessare noxalem actionem, ne sit in potestate serui, vt tibi soli seruiat;
 quod puto verum esse.* Quae si vera ratio esset, eadem obfaret, quo-
 minus mihi in socium communi diuidendo actio quasi noxalis com-
 peteret, quam tamen concedit AFRICANVS 66): *Si seruus communis
 vni ex dominis furtum fecerit, communi diuidendo agi debere placet, &
 arbitrio iudicis contineri, vt aut damnum praestet, aut parte cedat.
 Cui consequens videtur esse, vt etiamsi alienauerit suam partem, simili-
 ter & cum emtore agi possit, vt quodammodo noxalis actio caput sequa-
 tur.* Ex eadem ratione flueret, dominum nunquam noxali iudi-
 cio ex delicto serui teneri, ne sit in potestate serui, vt dominum
 mutet, quum tamen hac in re seruum domini conditionem dete-
 riorum reddere posse, certum sit 67). Meliorem rationem ex

C

ipfa

63) Id. l. c. §. 70 seqq. pag. 224. 64) L. 1. 7. de cur. fur. l. 12. in
 fin. 7. de tutor. & curator. datis. 65) L. 27. §. 1. 7. ad L. Aquil.
 66) L. 41. pr. 7. de furt. 67) L. 2. §. 25. in f. de vi & vi armata.



ipsa rei natura petitam porrigit IULIANVS 68): *Cum seruus communis alteri dominorum damnum iniuria dedit, ideo legis Aquiliae actio non est, quia si extraneo damnum dedisset, cum altero in solidum lege Aquilia agi possit; sicuti cum seruus communis (alteri ex dominis) furtum fecerit cum altero domino furti agi non potest, sed communi diuidendo agi potest.* Absurdum enim esset, eos inter se noxali iudicio contendere, qui in tali sunt communione, ut qui alterum putaret se conuenire, contra se ipse, quum sit condominus, experiretur; aeque ac noxalis actio intercidit, si vnus alteri ex seruis meis propriis noxam fecerit, siquidem actio noxalis ab extraneo & non domino contra dominum instituitur 69).

Angustior iusto est ratio, quam PAPINIANVS 70) reddit, quare codicillis hereditas directe nec dari nec adimi queat: *Quod per manus traditum est, codicillis hereditatem dari non posse, rationem illam habet: ne per codicillos, qui ex testamento valent, ipsum testamentum, quod vires per institutionem heredum recipit, confirmari videretur.* Haec enim ratio non quadrat ad codicillos ab intestato factos; meliorem substituit IUSTINIANVS 71): *Codicillis autem hereditas neque dari neque adimi potest, ne confundatur ius testamentorum & codicillorum; & ideo nec exhereditatio scribi.* Directo autem hereditas codicillis neque dari neque adimi potest; nam per fideicommissum hereditas codicillis iure relinquitur. Datur nimirum hereditas per testamentariam institutionem primam vel vltiorem seu substitutionem, quod quum sit per ipsam notionem testamento proprium, ad nullum alium actum siue inter vivos, siue in mortis euentum adplicari potest. Bene in hanc rem CONSTANTINVS 72): *Si idem codicilli, quod testamenta possent, cur diuersum his instrumentis vocabulum mandaretur; quae vis ac potestas vna sociasset? Nominum*

68) Lib. 2. ad Vrseium Ferocem in l. 47. ff. de noxal. actio. 69) Cuiacius obseru. lib. XVII. cap. 15. 70) L. 20. ff. de iure Codicillorum. 71) §. 2. l. de Codicillis. 72) L. 7. C. de codicill.

minum quidem diuersitas non semper rerum illis significatarum differentiam prodit, quum vnus rei plura possint esse nomina; si autem ex aliis rationibus res a se inuicem differre adpareat, nominum varietas ad illarum discrimen significandum haud leue momentum addit 73).

Ευκρενός ille PAVLLVS falsam rationem pro vera venditat 74): *Si, extraneo, inquam, scripto, & emancipato praeterito, matri defuncti, deducto usufructu, proprietas legata sit, petita contra tabulas bonorum possessione, plena proprietas, pietatis respectu, matri praestanda est.* In titulo D. de legatis praestandis contra tabulas bonorum possessione petita 75) exceptis quibusdam personis legata praestantur bonorum possessione contra tabulas impetrata, non autem plus accipiunt, quam iis scriptum est; In nostro casu matri sola proprietas legata est, & ea tamen capit proprietatem cum usufructu coniunctam? Id PAVLLVS quidem pietati tribuit; at idem iuris compe- titurum esset alicui ex liberis; paullo remotior enim est haec ratio, & propior in ipsa usufructus natura deprehenditur, usufructus scilicet finitus vel deficiens ad proprietatem reuertitur, quum per bonorum possessionem euersae sint tabulae & usufructus in persona heredis scripti sit finitus 76). Incongrua etiam est ratio, quam suggerunt DIOCLETIANVS & MAXIMINIANVS IMP. 77): *Eo quod e multis proprii debiti singulorum obligationis vno tantum instrumento probatio continetur, exactio non interpellatur.* Nam si pro pecunia, quam mutuo dedisti tibi vinum stipulanti, qui debuerant, sponderunt, negotii gesti poenitentia contractum recte habitum non constituit irritum. In hac lege aliud in thesi, aliud in eius probatione dicitur, nisi illam per hanc suppleas, & statuas in casu proposito vnum

C 2

ex

73) Vid. exemplum in l. 4. C. de feriis. 74) In l. 46. π. de vsufr. 75)

L. 1. pr. 76) Vid. Gilberti Regii *επειρωτικων* iuris ciuilis lib. 2. cap. 24. in Euerard. Otton. thesaur. tom. 2. pag. 1503. 77) L. 10. C. si cert. pet.



ex illis, qui communi instrumento se obligauerant alteri, poenituisse ac simul ideo, quod sua obligatio ex communi illo instrumento probari posset, se esse obligatum negasse, & hanc utramque exceptionem tanquam inidoneam ab Imperatoribus fuisse explosam.

Interdum leuiusculae legum rationes occurrunt: Sic praetor coecum virisque luminibus orbatum a postulando repellit, videlicet quod insignia magistratus videre & reuereri non possit 78), quum tamen coecus pro se postulare & senatorium ordinem retinere & iudicandi officio fungi non prohibeatur 79). Id videlicet videtur expresse egisse praetor, ut inanem redderet rationem, quum longe meliorum copia in promptu esset. PAVLLVS 80): *Septimo mense*, ait, *partus natus matri prodest, ratio enim Pythagorei numeri hoc videtur admittere, ut aut septimo pleno aut decimo mense partus maturior videatur*. Partum igitur *ἑπτάμηνον* tribuendum censet occultae rationi & virtuti septenarii numeri; *enimvero septenarius numerus laudatur a Pythagoreis ut optimus & naturalissimus & sufficientissimus* 81). Quis autem, nisi in re seria ludere velit, hos numerorum Pythagoreorum lusum ad rerum naturalium explicationem transferet? simili modo Galli quidam ICti statuerunt, ecclesias in terra a rege adquisita sitas potestati regis esse subiectas, quod corona regis esset rotunda 82).

IMMERITO autem & quaedam rationes in legibus obuiaae sunt impugnatae. Sic IUSTINIANVS: *Sed sui quidem inquit* 83) *heredes ideo appellantur, quia domestici heredes sunt, & viuo quoque patre quodammodo domini existimantur*. Varia contra hanc rationem monuerunt eruditi: aliis non placet suos dictos esse domesticos, aliis non

78) L. 1. §. 4. π. de postulando. 79) Ibid. 80) Sententiarum recept. lib. IV. tit. 9. n. 5 in Schultingii Iurispr. Anteiust. pag. 415. 81) Chalcidius in Platonis Timaeum. 82) Montesquieu de l'esprit des Loix liv. XXIX. chap. 16. tom. 3. pag. 284. 83) §. 2. I. de hered. qual. & diff.

non arridet, suis tribui viuo patre rerum paternarum dominium. IANVS A COSTA 84) suos heredes dictos esse putat quasi *proprios, natiuos, non aliunde accitos*. Docuit quidem GRONOVIVS 85) *suum* sumi interdum pro *natiuo, infito, innato, proprio*, vt graecis τὸ ἐκκεῖον καὶ ἰδρυεῖς vsurpari solet; ita *suum motum externo* opponere TVLLIVM 86), & *eundem* eodem sensu dicere 87): *quae contemplantes expendere oportebit, quid quisque habeat svi, idque moderari, nec velle experiri, quam se aliena deceant*. At in nostro loco ista significatio vix recipienda videtur; veteribus enim sui heredes dicuntur non naturales tantum sed etiam non naturales 88), & VIPIANVS 89) *seu*, inquit, *inestato & suus heres ei sit, quamvis non naturalis*. Praeoptanda igitur IUSTINIANI sententia, cui *domesticus* idem est, ac *in patris potestate dominioque constitutus*, sub qua appellatione & liberi adoptiui, vxor quae in manum conuenit, nurus quae in filiifamilias manum conuenit etiam comprehenduntur, licet non sint domi nati sed aliunde acciti. Domestici enim appellatio ad ius potestatis & dominium quiritarium in iure referri solet. Quod ad condominium attinet, quod IUSTINIANVS suis viuo parente tribuit, contra argumentantur nonnulli; suos nec viuo patre nec mortuo quidquam iuris certi in rebus paternis habere, quam pater heredem extraneum instituere possit, & nihil praeter legitimam liberis saluam relinquere teneatur, cuius portionis ipsius quantitas non nisi mortuo parente definiri possit; porro moment suorum denominationem pertinere non ad eorum iura sed ad eorum obligationes, eatenus enim suos dici, quatenus sint ad suc-

C 3

cessio-

84) Ad pr. l. cod. 85) Obseru. l. l. cap. II. pag. 74. seq. edit. Platneri. 86) Lib. 2. c. 12. de nat. Deor. 87) L. 1. c. 31. de offic. 88) L. 1. §. 2 D de suis & legit. hered. 89) Fragment. tit. 29. §. 1. in Schulting. Iurispr. Anteiust pag. 675. 90) §. 9. l. de test. ord. l. 6. pr. D. quod cuiusque vniu. nom. vid. Voorda interpret. & emendat. cap. V. pag. 14.



cessionem capeffendam obligati. Sed falua est IUSTINIANI ratio, & per omne ius ciuile comprobata. Quum fui reputetur quodammodo domini, nunquam iacere hereditas dicitur, quia nullum inter defuncti obitum & fui heredis adquisitionem tempus intercedit 91) proinde quoque ipfo iure fine vllto facto, aditione, creatione gestione pro herede, heredes dicuntur 92), & hereditatem ad quoscunq; transmittunt; si autem non instituitur, sunt exheredandi, atque in his folis proprie exheredatio locum habet 93).

Frustra quoque erroris accusatur ratio MARCIANI 94): *Si quis ita scripserit: Illis qui testamentum meum signauerint, heres meus decem dato; Trebatius vtile legatum esse putat. Quod Pomponius verius esse existimat; quia ipsum testamentum confirmatur testibus adhibitis, quod verum esse existimo.* In hoc titulo varia quae ad incertas personas spectant, pertractantur, & proinde synopsis Βασιλικῶν eius inscriptionem latiore protulit: *περὶ προγραμμάτων ἀμφὶ βολῶν λεγατευομένων καὶ περὶ ἀφρανῶν προσώπων.* In nostra igitur lege quaeritur: an legatum *incertae personae* relictum esset inutile, si ita sit conceptum, *iis, qui testamentum meum signauerint*; & recte ait ICrus vtile videri, *quia testamentum confirmatur testibus adhibitis* h. e. signatoribus ex more sollemnī confirmandi testamenti gratia adhibitis certa redditur legatarii persona ac proinde legatum valet; aequē ac illa institutio valet 95): *quem heredem codicillis fecero, heres esto.* Ea enim, quae in quadam relatione ad certum quid determinantur, inter certa referenda sunt 96).

Bene quoque sua ratio constat verbis VLPiani 97): *Si vxor mari-*

- 91) L. 1. §. 6. π. si quis omiff. cauff. test. 92) L. 14. π. de suis & leg. 93) L. 132. de V. O. 94) L. 14. π. de rebus dubiis. 95) L. 77. π. de hered. instir. 96) Arg. l. 7. §. 1. π. de contr. emt. l. 39. §. 1. de rei iud. vid. Radulph. Forner. rerum quotidianarum lib. 3. cap. 23. 97) L. 33. §. 1. π. de donat. inter V. & V.

marito annuum versa vice praesiterit, restituetur ei hoc, & poterit vindicare id quod exstat: credo poterit & condicere, in quantum locupletior factus est, quia non tam sollemne est annuum, quod maritus uxori pendit, & quod vxor marito praesat: imo incongruens est, & contra sexus naturam. Moribus apud Romanos receptum erat ne inter virum & vxorem donationes valerent, ne scilicet mutuo amore inuicem spoliarentur donationibus non temperantes, nec cesset*) eis studium liberos potius educandi 98). Hic rigor autem temperatus fuit oratione ANTONINI 99), ita vt donatori quidem, poenitere & reuocare donationem, liceret, non autem heredi, si ad donationem traditio accessisset; sin vero res nondum tradita sed tantum accedente stipulatione promissa esset, heredem ad illam praestandam non esse obligatum recte BYNKERSHOEKIUS 100) statuit, nisi promissa sit annua quaedam praestatio, quae vel in pecunia vel cibariis vel vestiariis vel alia re quacunque consistat, tum enim VLPRIANVS 101) si stipulata fuerit mulier, ait. annuum, id ex stipulatu petere constante matrimonio non potest, (quia semper marito poenitere licet), sed si manente matrimonio decessisse maritus proponatur (atque exinde colligatur eum non poenituisse), puto, quia in annuo quoque donatio vertitur, posse dici, stipulationem confirmari ex SCto, & idem statuitur, si vice versa maritus ab vxore stipulatus sit annuum 102). Mirum in modum distorsit interpretes singularis haec circa annua legis dispositio; sed BYNKERSHOEKIUS rem feliciter expedit ex ipsa annui natura, quae ita est comparata, vt tradi nequeat, nisi singulis annis, ac ita in futurum non repraesentetur. Hinc si coniux coniugi annuum promittat, & moriatur, tunc illae pensiones, quarum dies cessit ante mortem donatoris, quae non sunt traditae, quum tamen eas tradi per donatorem licuisset, ab herede peri-
neque-

*) Ita enim legendum videtur pro *esset*.

98) L. 1. & 2. π . cod. 99) L. 32. pr. & §. 2. π . cod. 100) Obseru. Inr. Rom. lib. V. c. 18. 122) L. 33. π . pr. cod. 102) L. 33. §. 2. cod.



nequeunt, bene tamen illac, quarum dies post obitum coniugis cessit, quia tradi & repraesentari non poterant. Sed haec de annuo promisso: nostra lex agit de annuo praestito, quod aequae ac alia donatio inter coniuges, si poenituerit, reuocari potest, imo si vxor annum praestiterit, multo magis reuocari poterit, *quia non tam sollemne est annuum, quod maritus vxori pendit, & quod vxor marito praestat.* Incepta quibusdam haec ratio visa, quippe quae plane contrariam legi sententiam produceret, hinc SCIPIO GENTILIS verba transponit, 103) legens: *quia non tam sollemne est annuum, quod vxor marito pendit, & quod maritus vxori praestat.* Sed non opus est hac metathefi, si verba *non tam sollemne est*, interpretemur, *non aequae sollemne est.* Celeberrimus RÜTTMANNVS 104) heic subesse putat figuram rhetoricam, ICTIS admodum familiarem, hysterolegiam nempe, qua posteriore loco ponuntur, quae primo ponenda erant.

PAVLLVS 105) quoque sine ratione carpitur, qui: *Neratius & Proculus*, inquit, *& solo animo non posse nos adquirere possessionem, si non antecedit naturalis possessio. Ideoque si thesaurum in fundo meo positum sciam, continuo me possidere, simulac possidendi adfectum habuero, quia quod desit naturali possessioni, id animus implet. cet.* Frequens fuit in hanc legem interpretum senatus- BYNKERSHOEKIUS 106) exemplum: *Ideoquae si thesaurum cet. ex regula antecedente plane non fluere contendit.* At haec particula hic non eo sensu adhibetur, vt consecutionem quandam denoter, sed simpliciter refertur ad speciem & quaestionem propositam 107), vt adeo PAVLLI mens plane non fuerit, hic rationem quam-

103) De don. inter V. & V. p. 201. 104) Interpr. & obseru. cap. 7. n. 1. 105) L. 3 §. 3. ff. de acqu. vel am. poss. 106) Obs. lib. 7 c. 1. 107) Eodem modo occurrit in l. 8. §. vlt. D. de acceptil. collata cum l. 8. pr. ff. de fideiuss. Sic & vox *quapropter* coniunctionis non illationis causa adhibetur in l. 26. §. 1. ff. de statu liber.

quamdam adferre. BYNKERSHOEKIVS quoque infra in nostra lege pro *nisi si loco motus sit*, substituit, *nisi si loco notus sit*, quem vero in viam reducit doctissimus RÜTTMANNVS (108). IAVCHIVS negationem in principio huius legis expungit (109), legens: *Et solo animo posse nos acquirere possessionem, & Neratii Proculique sententiam ex sententia Sabini vult interpretari, quod fieri non posse, cuilibet legem intuenti facile adparet. Idem aliam vim textui infert, quum particulam Et dupliciter sumi debere putat, ita, vt primo loco significet etiam, deinde quoque ad sequentem vocem si trahatur, nisi non antecedit naturalis possessio.* Nobis nulla ratio suadet, a verbis legis discedere. PAVLLVS tres enumerat opiniones, & vltimae suum adfensum tribuit, imo ne primam quidem reiicere videtur, siquidem vltimam eum media tantum comparat, eique anteponit. *Bruus & Manilius* de naturali loquuntur possessione, in eo autem peccant, quod ei effectus civiles tribuant. *Neraius & Proculus* de possessione qualificata loquuntur, eique recte effectus civiles largiuntur, & dominus fundi, qui thesaurum hoc modo possidet, vtiq; contra eum, qui thesaurum submouit, agere potest. Quum vero fundus non sit is locus, in quo thesauri adseruari soleant, hinc is possessor fundi tutiori in loco est, qui thesaurum loco mouerit, & proinde *Sabinus Paulusque* huic nomen iuraque possessoris primario tribuunt.

Haec praefari libuit, quum munus Professoris sollemni ritu sit auspicandum, quod EMINENTISSIMVS AC CELSISSIMVS PRINCEPS AC DOMINVS, DOMINVS EMMERICVS IOSEPHVS, S. Sed. Mogunt. Archiepiscopus, S. R. I. per Germaniam Archicancellarius & Princeps Elector, Dominus noster clementissimus singulari gratia in me contulit. Supplex venerator

D

PRIN.

108) Interpret. cap. 24. 109) De negationibus in Pandectis Florentinis recte vel male adiectis cap. XV. n. 4. pag. 232. & cap. XVII. n. 25. pag. 324.



PRINCIPIS OPTIMI in me clementiam, ILLIque ac patriae, quidquid mihi inest virium, quantumcumque sit, lubentissime confere, ardentissima pro ILLIVS salute vota concipio, DEVMque precor, HVNC, PATRIAE PATREM, quem summa subiectorum pietas immortalem esse cupit, quam diutissime rebus felicissime gerendis, patriaeque saluti prouehendae praeesse iubeat. Nec NON ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO DOMINO, DOMINO CAROLO IOSEPHO LVCAE S. R. I. LIB. BARONI SCHENK DE SCHMIDTBVRG, *Ecll. metropol. Mogunt. & insignium collegiatarum equestr. S. Ferrutii Eleidenstadtensis & S. Albani prope Mogunt. Canonico Capitul. Eccles. colleg. ad S. Victor. Praeposito, Eminentiss. ac Celsiss. Principis Elect. Mog. vi & Episcop. & Princ. Heribopol. Confliario intimo, Proprincipi nostro gratiosissimo pro maxima gratia, cuius complura in me iussit existare documenta, mentem humillime obstrictam profiteor. HVNC MAECENATEM INDVLGENTISSIMVM, cuius*


pasitur in reditus iam victima sacra

SVMVM NVMEN maxima summi cuiusque boni copia cumulare, ac, quae summa est ILLIVS cura, rei nostrae publicae ac litterariae per longam felicissimorum temporum seriem amplissime prospicere velit.

His votis nuncupatis ad Vos conuertor, Generosissimi ac Nobilissimi Commilitones, Quum iam mearum sit partium, me Vobis comitem in studiorum cursu adiungere, omnes intendam neruos, vt nec fidei, nec diligentiae officia in me desiderari patiar, vtque Vobis non modo praecepta iusti, sed etiam, quod maxime ad solidam legum scientiam pertinet, rationes eorum, quae constituta sunt, proponam atque euoluam. Vos autem, quem mihi saepe comprobastis fauorem, vt in futurum mihi seruetis integrum, rogo oroque, Aperio Vobis scholas meas



meas publicas priuatasque, finita nunc Encyclopaediae Iuridicae Illustr. Pütteri explicatione, publice quidem in Excell. de SELCHOW Antiquitates Iuris Romani, (hora XI-XII.) priuatim vero in HEYNECCI Institutiones (hor. X-XI.) ac in Illustr. PÜTTERI Ius Germanicum (hor. II-III.) instituendas, quibus pro vestro fauore interesse, mihiq[ue] occasionem Vobis inferuendi praebere exoptatissimam haud grauabimini. Dabam e museo Erford. d. XXIX. Sept. c1o1oCCLXV.



Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.



*Ein...
De...
18...*



ERFUERT, Diss., 1767/67

SS.


ULB Halle
004 995 333

3



VD 18





Pr. g. 1. num. 13.
H. S.

19

1765, 4

DE

LEGVM RATIONIBVS,


QVAE IN IPSIS LEGIBVS MINVS ADCVRATE
EXHIBENTVR,

QVAEDAM DISPVTTAT

ET

LECTIONES PVBLICAS INDICIT
HERMANNVS ERNEST. RVMPPEL

PHILOS. ET I. V. D. IVR. PROF. PVBL. EXTR. GYMNAS. SENAT. DIRECTOR,
ACADEM. IMP. NAT. CVR. COLLEGA ET BIBLIOTHECARIVS
ET ACAD. MOG. SCIENT. AB EPISTOLIS.



ERFORDIAE,

STANNO NONNIANO, ACAD. TYPOGR.

